

Cambridge University Press

978-1-107-43264-2 - Richard Crashaw: Steps to the Temple Delights of
the Muses and Other Poems

The Text Edited by A. R. Waller

Excerpt

[More information](#)

EPIGRAM- M A T U M SACRORUM LIBER.



CANTABRIGIAE,
Ex Academiæ celeberrimæ
typographeo. 1634.

Cambridge University Press

978-1-107-43264-2 - Richard Crashaw: Steps to the Temple Delights of
the Muses and Other Poems

The Text Edited by A. R. Waller

Excerpt

[More information](#)

Cambridge University Press

978-1-107-43264-2 - Richard Crashaw: Steps to the Temple Delights of
the Muses and Other Poems

The Text Edited by A. R. Waller

Excerpt

[More information](#)

REVERENDO ADMODUM
VIRO
BENJAMINO LANY
 SS. Theologiæ Professori,
Aulæ Pembrochianæ Custodi dignissimo,
 ex suorum minimis
 minimus
R. C.
 custodiam cœlestem
 P.

SUUS est & florū fructus ; quibus fruimur, si non
 utiliùs, delicatiùs certé. Neque etiam rarum est
 quòd ad spem veris, de se per flores suos quasi
 pollicentis, adultioris anni, ipsiusq; adeò Autumni
 exigamus fidem. Ignoscas igitur (vir colendissime)
 properanti sub ora Apollinis sui, primæque adolescentiæ
 lasciviâ exultanti Musæ. Teneræ ætatis flores adfert,
 non fructus seræ : quos quidem exigere ad seram illam
 & sobriam maturitatem, quam in fructibus expectamus
 meritò, durum fuerit ; forsitan & ipsâ hac præcoci
 importunitate suâ placituros magis : Tibi præsertim
 quem paternus animus (quod fieri solet) intentum tenet
 omni suæ spei diluculo, quò tibi de tuorum indole
 promittas aliquid. Ex more etiam eorum, qui in
 præmium laboris sui pretiūmque patientiæ festini, ex iis
 quæ severunt ipsi & excoluerunt, quicquid est flosculi
 prominulum, primâ quasi verecundiâ auras & apertum
 Jovem experientis arripiunt avidè, saporémque illi non
 tam ex ipsis indole & ingenio quam ex animi sui

Cambridge University Press

978-1-107-43264-2 - Richard Crashaw: Steps to the Temple Delights of
the Muses and Other Poems

The Text Edited by A. R. Waller

Excerpt

[More information](#)

RICHARD CRASHAW

affectu, foventis in eo curas suas & spes, affingunt.
 Patere igitur (reverende Custos) hanc tibi ex istiusmodi
 floribus corollam necti; convivalem verò: nec aliter
 passuram Sydus illud oris tui auspicatissimum nisi (quâ
 est etiam amœnitate) remissiore radio cùm se reclinat,
 & in tantum de se demit. Neque sanè hoc scriptionis
 genere (modò partes suas satis præstiterit) quid esse
 potuit otio Theologico accommodatius, quo nimirum res
 ipsa Theologica Poëticâ amœnitate delinita majestatem
 suam venustate commendat. Hoc demum quicquid
 est, amare tamen poteris; & voles, scio: non ut
 magnum quid, non ut egregium, non ut te dignum
 denique, sed ut tuum: tuum summo jure; utpote quod
 è tua gleba, per tuum radium, in manum denique tuam
 evocatū fuerit. Quod restat hujus libelli fatis, exorandus
 es igitur (vir spectatissime) ut quem sinu tam facili
 privatum excepisti, eum jam ore magis publico allo
 quentem te non asperneris. Stes illi in limine, non
 auspicium modò suum, sed & argumentum. Enimvero
 Epigramma sacrum tuus ille vultus vel est, vel quid sit
 docet; ubi nimirum amabili diluitur severum, & sanctum
 suavi demulcetur. Pronum me vides in negatam mihi
 provinciam; laudum tuarum, intelligo: quas mihi cùm
 modestia tua abstulerit, reliquum mihi est necessariò ut
 sim brevis: imò verò longus nimiúm; utpote cui
 argumentum istud abscissum fuerit, in quo unicè
 poteram, & sine tædio, prolixus esse. Vale, virorum
 ornatissime, neque dedigneris quòd colere audeam Genii
 tui serenitatem supplex tam tenuis, & (quoniam numen
 quoq; hoc de se non negat) amare etiam. Interim
 verò da veniam Musæ in tantum sibi non temperanti,
 quin in hanc saltem laudis tuæ partem, quæ tibi ex rebus
 sacris apud nos ornatis meritissima est, istiusmodi
 carmine involare ausa sit, qualicunque,

Cambridge University Press

978-1-107-43264-2 - Richard Crashaw: Steps to the Temple Delights of
the Muses and Other Poems

The Text Edited by A. R. Waller

Excerpt

[More information](#)

EPIGRAMMATA SACRA

Salve, alme custos Pierii gregis :
 Per quem eruditio exhalat in otio ;
 Seu frigus uidi captet antri,
 Sive Jovem nitidosque soles.

Non ipse custos pulchrior invias
 Egit sub umbras Æmonios greges ;
 Non ipse Apollo notus illis
 Lege suæ meliore cannæ.

Tu si sereno des oculo frui ;
 Sunt rura nobis, sunt juga, sunt aquæ,
 Sunt plectra dulcium sororum ;
 (Non alio mihi nota Phœbo)

Te dante, castos composuit sinus ;
 Te dante, mores sumpsit, & in suo
 Videnda vultu, pulverémque
 Relligio cinerémque nescit.

Stat cincta digna fronde decens caput :
 Subsque per te fassa palam Deos,
 Comisque, Diva, vestibüsque
 Ingenium dedit ordinemque.

Jamque ecce nobis amplior es modò
 Majbrque cerni. Quale jubar tremit
 Sub os ! verecundusque quantâ
 Mole sui Genius laborat !

Jam qui serenas it tibi per genas,
 Majore cœlo Sydus habet suum ;
 Majbrque circum cuspidatæ
 Ora comit tua flos diei.

Stat causa. Nempe banc ipse Deus, Deus,
 Hanc ara, per te pulchra, diem tibi
 Tuam refundit, obvibque
 It radio tibi se colenti.

Cambridge University Press

978-1-107-43264-2 - Richard Crashaw: Steps to the Temple Delights of
the Muses and Other Poems

The Text Edited by A. R. Waller

Excerpt

[More information](#)

RICHARD CRASHAW

*Ecce, ecce ! sacro in limine, dum pio
Multumque prono poplite amas humum,
Altaria annuant ab alto ;
Et refluxis tibi plaudit alis*

*Pulchro incalescens officio, puer
Quicunque criso sydere crinium,
Vultuque non fatente terram,
Currit ibi roseus satelles.*

*Et jure. Nam cum fana tot inviis
Marent ruinis, ipsaque (ceu preces
Manusque, non decora supplex,
Tendat) opem rogat, heu negatam !*

*Tibi ipsa voti est ara sui rea.
Et solvet. O quam semper apud Deum
Litabis illum, cuius aræ
Ipse preces prius audiisti !*

Cambridge University Press

978-1-107-43264-2 - Richard Crashaw: Steps to the Temple Delights of
the Muses and Other Poems

The Text Edited by A. R. Waller

Excerpt

[More information](#)

EPIGRAMMATA SACRA

Venerabili viro Magistro *Tournay*,
 Tutori suo summè observando.

MEssis inauravit Cereri jam quarta capillos,
Vitis habet *Bacchum* quarta corona suæ,
Nostra ex quo, primis pluñæ vix alba pruinis,
Ausa tuo *Musa* est nidificare sinu.
Hic nemus, híc soles, & cœlum mitius illi :
Hic sua quod *Musis* umbra vel aura dedit.
Sedit ibi secura malus quid moverit *Auster*,
Quæ gravis hybernum vixerit ala *Jovem*.
Nescio quo interea multum tibi murmure nota est :
Nempe sed *hoc* poteras murmur amare tamen.
Tandem ecce (heu simili de prole puerpera) tandem
Hoc tenero tenera est pignore facta parens.
Jamq; meam hanc sobolem (rogo) quis sinus alter haberet ?
Quis mihi tam noti nempe teporis erat ?
Sed quoq; & ipsa Meus (de te) meus, improba, tutor
(Quam primum potuit dicere) dixit, erit.
Has ego legitimæ, nec lœvo sydere natæ
Non puto degeneres indolis esse notas ;
Nempe quid illa suo patri tam semper apertos,
Tam semper faciles nôrit adire sinus.
Ergò tuam tibi sume : tuas eat illa sub alas :
Hoc quoque de nostro, quod tuearis, babe.
Sic quæ *Suada* tuo fontem sibi fecit in ore,
Sancto & securò melle perennis eat.
Sic tua, sic nullas *Siren* non mulceat aures,
Aula cui plausus & sua sera dedit.
Sic tuus ille (precor) *Tagus* aut eat objice nullo,
Aut omni (quod adhuc) objice major eat.

Cambridge University Press

978-1-107-43264-2 - Richard Crashaw: Steps to the Temple Delights of
the Muses and Other Poems

The Text Edited by A. R. Waller

Excerpt

[More information](#)

RICHARD CRASHAW

Ornatissimo viro Præceptorí suo colen-
dissimo, Magistro Brook.

O *Mibi qui nunquam nomen non dulce fuisti
 Tunc quoque cum domini fronte timendus eras !
 Ille ego pars vestri quondam intactissima regni,
 De nullo virgæ nota labore tuæ,
 Do tibi quod de te per secula longa queretur
 Quid de me nimium non metuendus eras :
 Quid tibi turpis ego torpentis inertia sceptri
 Tam ferulæ tulerim mitia jura tuæ.
 Scilicet in foliis quicquid peccabitur istis,
 Quod tua virga statim vapulet, illud erit.
 Ergo tibi hæc pœnas pro mea pagina pendat.
 Hic agitur virgæ res tibi multa tuæ.
 In me igitur quicquid nimis illa pepicerit olim,
 Id licet in fætu vindicet omne meo.
 Hic tuus inveniet satys in quo sœviat unguis,
 Quidque veru docto trans obeliscus eat.
 Scilicet hæc mea sunt ; hæc que mala scilicet : ô si
 (Quæ tua nempe forent) hic meliora forent !
 Qualiacunque, suum nōrunt hæc flumina fontem.
 (Nilus ab ignoto fonte superbus eat)
 Nec certè nihil est quâ quis sit origine. Fontes
 Esse solent fluvii nomen honórque sui.
 Hic quoque tam parvus (de mea secula dicant)
 Non parvi soboles hic quoque fontis erat.
 Hoc modò & ipse velis de me dixisse, Meorum
 Ille fuit minimus. Sed fuit ille meus.*

Cambridge University Press

978-1-107-43264-2 - Richard Crashaw: Steps to the Temple Delights of
the Muses and Other Poems

The Text Edited by A. R. Waller

Excerpt

[More information](#)

EPIGRAMMATA SACRA

LECTORI.

SAlve. Jamq; vale. Quid enim quis pergeret ultrâ?
 Quâ jocus & lusus non vocat, ire voles?
 Scilicet hic, Lector, cur noster habebere, non est;
 Delitiis folio non faciente tuis.
 Nam nec Acidalios halat mihi pagina rores;
 Nostra Cupidineæ nec favet aura faci.
 Frustra hinc ille suis quicquam promiserit alis:
 Frustra hinc illa novo speret abire sinu.
 Ille è materna melius sibi talia myrto;
 Illa jugis melius poscat ab Idaliis.
 Quærat ibi suus in quo cespite surgat Adonis,
 Quæ melior teneris patria sit violis.
 Illinc totius Floræ, verisque, sutque
 Consilio, ille alas impleat, illa sinus.
 Me mea (casta tamen, si sit rудis) herba coronet:
 Me mea (si rудis est, sit rудis) herba juvat.
 Nulla meo Circæa tument tibi pocula versu:
 Dulcia, & in furias officiosa tuas.
 Nulla latet Lethe, quam fraus tibi florea libat,
 Quam rosa sub falsis dat male fida genis.
 Nulla verecundum mentitur mella venenum:
 Captat ab insidiis linea nulla suis.
 Et spleni, & jecori foliis bene parcitur istis.
 Ab male cum rebus staret utrumque meis.
 Rara est quæ ridet; nulla est quæ pagina prurit:
 Nulla salax, si quid nōrit habere salis.
 Non nudæ Veneres: nec, si jocus, udus habetur:
 Non nimium Bacchus noster Apollo fuit.
 Nil cui quis putri sit detorquendus ocello;
 Est nihil obliquo quod velit ore legi.
 Hæc coram, atque oculis legeret Lucretia justis:
 Iret & illæsis hinc pudor ipse genis.
 Nam neque candidior voti venit aura pudici
 De matutina virgine thura ferens:
 Cum vestis nive vinclæ sinus, nive tempora fulgens,
 Dans nive flammelis frigida jura comis,
 Religiosa pedum sensim vestigia librans,
 Ante aras tandem constitit; & tremuit.

Cambridge University Press

978-1-107-43264-2 - Richard Crashaw: Steps to the Temple Delights of
the Muses and Other Poems

The Text Edited by A. R. Waller

Excerpt

[More information](#)

RICHARD CRASHAW

*Nec gravis ipsa suo sub numine castior halat
 Quæ pia non puras summovet ara manus.
 Tam Venus in nostro non est nimis aurea versu:
 Tam non sunt pueri tela timenda dei.
 Sæpe puer dubias circum me moverat alas ;
 Fecit & incertas nostra sub ora faces.
 Sæpe vel ipse sua calatum mibi blandus ab ala,
 Vel matris cygno de meliore dedit.
 Sæpe Dionææ paetus mibi sertâ coronæ ;
 Sæpe, Meus vates tu, mibi dixit, eris.
 I procul, i cum matre tua, puer improbe, dixi :
 Non tibi cum numeris res erit ulla meis.
 Tu Veronensi cum passere pulchrior ibis :
 Bilbilicstsve queas comptius esse modis.
 Ille tuos finget quocunque sub agmine crines :
 Undique nequitiis par erit ille tuis.
 Ille nimis (dixi) patet in tua prælia campus :
 Heu nimis est vates & nimis ille tuus.
 Gleba illa (ah tua quam tamen urit adultera messis)
 Esset Idumæo germine quanta parens !
 Quantus ibi & quantæ premeret Puer ubera Matris !
 Nec cælos vultu dissimulante suos.
 Ejus in isto oculi sati s̄ essent sydera versu ;
 Sydere matris quam bene tuta sinu !
 Matris ut hic similes in collum mitteret ulnas,
 Inq sinus niveos pergeret, ore pari !
 Utq genis pueri hæc æquis daret oscula labris !
 Et bene cognatis iret in ora rosis !
 Quæ Mariæ tam larga meat, quam disceret illic
 Uvida sub pretio gemma tumere suo !
 Staret ibi ante suum lacrymatrix Diva Magistrum :
 Seu levis aura volet, seu gravis unda cadat ;
 Luminis hæc soboles, & proles pyxidis illa,
 Pulchrius unda cadat, suavius aura volet.
 Quicquid in his sordet demum, luceret in illis.
 Improbæ, nec satis est hunc tamen esse tuum ?
 Improbæ cede puer : quid enim mea carmina mulces ?
 Carmina de jaculis muta futura tuis.
 Cede puer, quæ te petulantis fræna puellæ ;
 Turpia quæ revocant pensa procacis heræ ;
 Quæ miseri malè pulchra nitent mendacia limi ;
 Quæ cerussatæ, furtæ decora, genæ ;*